

nibus talibus, è quibus constare potest viris bonis, me non petere boni alicujus famam, sed notare istos arrogantis supercilii argutatores, quorum unum opus omnia ab Aristotele vel aliis philosophis, viris omni exceptione majoribus, tradita carpere, & nil rectum putare, nisi quod ipsi scribunt; qui que censent inde se cymbalum mundi, aut publicæ famæ tympanum fieri posse, quod Tiberius Cæsar de quibusdam sui seculi incommodis pronuntiavit. Hos, inquam, noto, qui studiosæ juventuti horum vel illorum bonorum authorum odium instillant, quos ipsi ne à primo quidem limine salutarunt. Alii reprehendent nostram prolixitatem. His respondebo, brevitatem convenientem esse adæquatam ipsis rebus tractandis. Non igitur brevitatis est, sed imperfectio, quando quis pro suo lubitu è disciplinis adhibetâ falce, ut ita dicam, stultitiæ tollit illa vel illa, quæ omninò ad ipsius essentiam pertinent. Methodum, nobilissimum illud instrumentum, adhibemus disponendis rebus, ut faciliùs illas intelligamus; sed ita, ut fundamentum illius in rebus ipsis quæramus. Quæcunque igitur occurrunt in ipsis rebus, illa debent exprimi in ipsis disciplinis, quæ nihil aliud sunt, quàm ipsarum rerum expressæ imagines. Non igitur licuit nobis in hoc systemate adornando esse brevioribus, sive præcepta spectes, sive canones, sive denique commentaria. Nam præcepta & canones ex usu ipso hausimus, descripsimus, expressimus: commentaria præceptis & Maximis illustrandis adjecimus. Quare quoties aliquid in usu rectè differentium nobis occurrit scitu necessarium, hoc in